



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten ist, was vom Monath Junio des Jahrs 1648. biß zu dem, im Jahr 1649. völlig erfolgten Schluß und Ende des Universal-Friedens-Congressus zu Oßnabrück und Münster, gehandelt und geschlossen worden

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1736

VD18 90103165

Delibatam Tibi Fato Tot Decorvm Senatoriorvm Hoc Tempore Felicitatem
Tvam Deplora Alma Patria, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53029](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53029)

DELIBATAM TIBI FATO TOT DECORVM
SENATORIORVM

HOC TEMPORE FELICITATEM TVAM DEPLORA

ALMA PATRIA,

Luge pios manes optimatum tuorum. Prosequere tristi suspirio eorum funera.
Dole vicem. Dole jaeturam tantam.

Et infimul

TVO IPSIVS FATO NON MELIORI INGEMISCE.

Ecce una obdormivit, ecce exspiravit, ecce desit humanis hisce rebus jam porro interesse,
Numinis arcano voluntatis,

ILLVSTRIS ILLE ET EMINENTISSIMVS DOMINVS,

D. JOHANNES ADLER SALVIUS,

L. BARO IN ÖRNEHOLM, D. IN ADLERSBVRGH,
HARZEFELT, WILDENBRUCH ET TULLINGEN.

RARÆ felicitatis homo propemodum incomparabilis,
Dignus, cujus memoria æternitatem duratura celebretur.
Dignus, cujus nomen in omnem posteritatem transmittatur,
Equidem, virtutis adeo divinæ genuinum quoddam exemplum.

Vide QVI

Exiguus ab initiis, ad TANTUM fastigium provectus erat,
Natus humili ordine curiali, ad Senatoriam usque Regni dignitatem exaltatus,
Imò, ad Secretiorem comitivam consistorianam ad latus AUGUSTÆ tantæ principis,
Interea porrò ad Nobilitatem insignem, ad Baronatum, & ad plenam undiquaque Le-
gati Regii potestatem.

Ecquâ minori numinis indulgentiâ, quam quâ evectus olim in Ægypto Josephus erat?

Ecquâ minori vi ingenii & consiliorum ejus?

Ecquâ minori prudentiâ rerum gerendarum, quam ullius unquam fuit decorum Græ-
corum?

Ecquâ minori gloriâ literarum?

Ecquâ minori constantiâ, & in Patriam pietate, & circa jussiones Regias fide, quam fidei
illius antiquæ ullus Romanorum?

Ecquâ denique minori ad omnia fortunâ usus & prosperitate?

Vide QVI

Nostratibus adversus Casarianas partes, euge adversus antiquum illud antiquæ felici-
tatis Imperium Romanum, toto illo tum belli tum pacis tempore *insigne momentum*
fecit: æmulatus quasi armorum felicitatem industriâ coæquali: nusquam non auspiciò,
nusquam non benè versatus nobis.

Novit universâ Europa hoc laudis ejus: Novit inprimis testaturque eò beatior alma
Patria: Germania facillè attestatur: Protestatur adhuc Italia: Gallia omnesque nationes
Patriæ sociæ contestantur: Nec ullus denique populus, ullavè fermè gens non idem in-
ternovit, ad quam pervenit rumor istius tum belli tum fœderis tam famosi.

ILLVM TALEM

Descendentem apud se in consilia sua formidabant simulatque venerabantur ipsi ho-
stes: Socii amplexabantur: Fœderati mediatores pacis longè suspiciebant: intuebatur
interea orbis suspensus de eventu: Christianus orbis ut patrocinantem, reliquus ut op-
positum, Germania ut medentem, Patria ut VIRUM providum & constantem: Sola at
nunc Patria desiderat (eheu tam subito!) discedentem.

Verum,

Verum, quid indignabimur eum promeritorum in nos suorum hoc nunc affluentiori
apud superos remuneratione frui?

Quin imò

Vivat illic posthac vitam nunquam intermituram, vivat vitam
in sempiternam mansuram immortalitatem.

Id unice comprecemur, id unice voveamus, ita illi unanimiter grati parentemus.

